



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlus VIII. De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vaeantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

dentem pacificè possessum, & quod certò uodò vacare prætendit, deinceps impetrat, imprimis in impetrationis literis exprimere debet Nomen, Gradum scilicet Doctoratus aut Licentiæ, & Nobilitatem possessoris, & quot annis illud possederit: & specificam ac determinatam causam, v.g. defectum ætatis vel incompatibilis beneficii pacificam assecutionem, ex qua possessori nullum ius in beneficio competere, clarè constare possit. Deinde procurare debet; ut beneficii possessor intra sex menses, à datæ impetrationis tempore computandos, citetur & ad iudicium evocetur. Demum, factâ citatione, causam intra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequi tenetur. Quæ conditiones si non observentur, beneficii impetratio & quæcunque ex ea secuta nullius sunt firmitatis: & impetrans possessori de ortis exinde damnis & interesse satisfacere tenetur &c.

57. Verùm, ex his annali bonæque fidei & pacifica possessione beneficii titulum aut ius in eo acquiri, cum Rebuffo de Pacifico poss. à n. 206. & aliis, nemine, quod

sciam, dissentiente, meritò negant Azor. p. 2. Instit. Lib. 7. cap. 24. g. 16. & cit. Palao p. 33. n. 3. Ratio est, quia ex Regula cit. beneficii possessor adversus eum, qui beneficium impetravit, se tueri solummodo potest, quando in impetrationis literis possessoris nomen aut qualitas, Gradus literarii vel Nobilitatis, aut specificæ determinata clarâque nullitatis causa non expressa, vel ipse intra sex menses citatus non fuit &c. non autem prohibetur beneficii per annum pacificè possessi impetratio: neque illius possessor annalis defenditur adversus eum, qui beneficium impetravit, & possessori iactæ collationis valorem ius, quæ Regula præscribit, observatis impugnat, allegandò determinatam clarâque causam nullitatis, v.g. defectum ætatis aut aliud canonicum impedimentum, quod à possessore probabiliter fuit ignoratum, & post collationem illi factam primùm detectum. Unde perspicuum est, pacificâ & bonæ fidei possessione annali titulum & ius in beneficio non acquiri.



TITVLVS VIII.

De Concessione Præbendæ & Ecclesiæ non vacantis.

S U M M A R I U M.

- | | |
|---|---|
| 1. Vacat beneficium, quod à nemine obtinetur, | 4. Vel tantum de Jure; quod per sententiam, |
| 2. Aliquando de Jure simul & de Facto: | 5. Vel ex Juris dispositione sit amissum. |
| 3. Aliquando de Facto tantum, | 6. Canonice conferetur, quod utroque modo, |
| | 7. Vel de Jure tantum: |

8. Nov

8. Non etiam, quod de Facto tantum vacat.
9. Imò hujus collati acceptatio inhabilitatem ad beneficium inducit :
10. Valida est beneficii non vacantis unio.
11. Non etiam ejus conferendi Promissio :
12. Cui adjectum juramentum aliqui pro valido habent.
13. Verius obligatorium non est ;
14. Ut, eò non obstante, beneficium possessa vacans alteri licitè conferatur.
15. Beneficium conferendi facultatem Episcopus alius non concedit :
16. Præterquam Vicario suo generali.
17. Neque paronus, nisi à præsentatione ipse sit impeditus.
18. Ad beneficia vacatura jus Papa :
19. Non ejus, etiam à Latere legatus,
20. Vel Episcopus cum Capitulo concedit.
21. Ad ea tamen Graduati alicubi nominantur in Academiis.
22. Illicite sunt promissiones beneficiorum in genere.
23. Saltem quibus jus conferitur ad beneficia vacatura.
24. Consuetudine tamen aliquando id non observatur.

1. **U**T Præbendarum & Ecclesiarum seu beneficiorum Ecclesiasticorum libera collatio, ad eaque præsentatorum institutio SS. Canonibus conformes sint, illorum vacatio est expectanda.

Vacare autem dicitur beneficium, quod caret proprietario vel possessore, arg. l. Qui catu 5. §. 2. ff. ad l. Jul. de Vi publ. & l. Divus 22. §. 1. ff. de Usu & habit. quarum priori mulier carens marito : posteriori domus à nemine inha-

bitata, pro vacantibus habentur : quod respectu Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum tribus modis contingit ; cum aliquando ipsò Jure & Factò simul ; aliquando Jure, aut Factò tantum vacent, Tholoianus de Benef. cap. 27. n. 1. & Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 16. q. 2.

Jure & Factò simul vacat beneficium, 2. cuius nec titulus nec possessio apud aliquem est : quod accidit per obitum, resignationem aut actualem privationem clerici beneficiati, antequam id alteri sit collatum, cit. Tholoian. cap. 28. n. 1. & Azor q. 2.

Factò tantum vacat, cum, solà ejus possessione amissà, titulus & jus seu proprietas retinetur : sicut contingit, cum beneficiatus ejus possessione vi est dejectus, c. Sollicitè 2. c. Conquerente 7. Et. de Restit. spoliar. vel, cum actualem ejus possessionem nondum habet clericus, cui id est collatum, arg. c. Si tibi absentis 17. de Præb. & dignit. in 6.

Jure tantum vacat beneficium, quando possessor solum ejus titulum sive jus & proprietatem amisit : quod aliquando fit per sententiam judicis eò, quod obtinuit, beneficiò clericum privantis in pœnam criminis, v.g. quòd absque justa causa & legitima facultate abire à loco Ecclesiæ vel beneficii residentiam exigentis, c. Conquerente 6. Et. c. Inter 10. de Cleric. non resid. quod commiserit homicidium, c. Clericis 5. Ne clericis vel Monachi, vel perjurium, textus & Glossa in c. Querelam 10. V. Non necessitate, de Jurjurando, vel aliud crimen grave & depositione seu privatione dignum : de quibus cit. Azor cap. 18. & Vallent. de Benef. Lib. 3. Tit. 11. à n. 6.

Aliquando ejusmodi vacatio inducitur ex dispositione ipsius Juris, decernentis beneficium ipsò factò vacare ; quòd beneficiatus contraxerit matrimonium,

nium, c. 1. & c. Quod à te 3. de Cleric. conjug. Religionem ab Ecclesia approbatam sit professus, c. Beneficium 4. de Regular. in 6. secularem militiam secutus, Glossa in c. fm. V. Redierint, de Cleric. non resid. beneficium incompatible affectus sit, c. de Multa 28. & Extravag. Execrabilis §. Qui verò, de Prab. & dignit. vel beneficii possessionem vi occuparit, c. Eum qui 18. eòdem in 6. quòd, Episcopatus possessionem pacificam affectus, Consecrationem, vel parochiale beneficium obtinens Ordinis Sacerdotalis receptionem, cessante legitimo impedimento, ultra tempus Jure definitum distulerint, c. Cum in cunctis 7. §. Qui verò, de Electione & c. Licet 14. §. Is etiam, eòdem in 6. vel Prælatus bona seu res Ecclesiæ immobiles aut mobiles pretiosas, non servatis Juris solemnitatibus, vel summò Pontifice inconsulto, alienarit, Extravag. ambiciose, de Rebus Eccles. alien. quòd commiserit crimen, cui beneficii privatio ipsò Jure annexa est: cujusmodi crimina sunt Hæresis, c. Ad abolendam 9. ibi, Sit omni officio & beneficio spoliatus, de Hæreticis & c. Cum secundum 19. eàdem Rubr. in 6. Simonia Realis, Extravag. Cum detestabile inter com. de Simonia, Sodomia sæpius exercita, ex Constitut. Pii V. quæ incipit Horrendum, edita 3. Septemb. 1568. Persecutio, percussio, captivitas alicujus S. R. E. Cardinalis, c. Felicitis 5. de Pœnis in 6. Percussio, captivitas, proscriptio Episcopi, Clement. 1. de Pœnis, Homicidium commissum per Assassinium, c. 1. de Homicidio in 6. per occisionem parentis, c. Inquisitionis 21. de Accusat. vel Rectoris aut beneficiati Ecclesiæ luxu, c. In quibusdam 15. de Pœnis, Falsatio litterarum Apostolicarum, c. Ad falsariorum 7. de Crimine falsi: de quibus aliisque modis beneficiorum vacationum

ipsò Jure inducentibus, latè citè. Azor. cap. 17. q. 1. Vallens. Tit. 24. d. n. 1. & Barbosa Juris Eccles. Lib. 3. cap. 14. d. n. 1. aliis DD. relatis.

Certum nunc primò est, conferri posse beneficium vacans de Jure & Facto simul, arg. à contrario deductò ex c. 1. imò etiam, quòd de Jure tantum vacat: etsi, quòd in ejus possessione saltem colorata alius sit, in literis imperationis & provisionis rescriptò hujusmodi possessionis faciendæ mentio, & sine ista imperatio provisionisque subreptitia & nulla sit, c. Cum nostris 6. Ratio est; quòd Papa, si in ejus colorata possessione alium esse scivisset, non facile, neque absolute beneficium contulisset: sed potius, ne viventis beneficium conferre videretur, de possessoris jure inquiri mandavisset, Panormit. in c. cit. n. 7. Menoch. de Arbitr. casu 201. n. 139. & Gonzalez in Reg. 8. gloss. 5. §. 1. n. 64. Nisi tamen provisio fieret Motu proprio: cum enim iste subreptionis vitium putget, c. Si motu 23. de Prabend. in 6. eò factam provisionem Apostolicam, alienæ possessionis reticentiæ non obstante, subsistere cum Selva p. 3. de Benef. q. 11. n. 37. & cit. Menochio n. 142. vult Garcias de Benef. p. 10. cap. 1. n. 49. contra Panormit. l. cit. n. 19. illam corruere existimantem; quòd Papa non intendat conferre beneficium, in cujus possessione colorata alius existit: intentionis autem defectus Motu proprio non tollatur.

Certum contra secundò est, conferri non posse beneficium, quòd neque de Jure, neque de Facto vacat: imò etiam, quòd non de Jure, sed de Facto tantum vacat; quia etiam tale beneficium, hòc ipsò; quòd ejus titulus & proprietas penes alium sit, verè vacare non censetur, Panormit. in c. Cum nostris cit.

Ariz. cit. n. 18. beneficii autem verè non vacantis collatio irrita & nulla est ipsò Jure, *can. Eum qui, 7. q. 1. can. Non sumrem, 7. q. 1. c. Consultationibus 4. de Donat. & c. Nulla 2. hic*, usque adeò, ut eum, qui in beneficio institui se passus est, ab eo, & ipsa etiam Fidelium communione removendus sit, ex decreto Gregorii & Gelasii summorum Pontificum *can. Eum qui, 7. q. 1. & c. 1. hic*. Irritata autem ejusmodi collationis ratio justissima fuit; quòd, cum ex una, sicut una mulier, uni viro legitime copulata, alteri conjungi, *c. Gaudemus 8. V. Nec ulli, de Divortiiis*: sic etiam una eademque Ecclesia vel beneficium, conferri simulque retineri nequeat à clericis duobus, *can. Sicut, 7. q. 1. c. Cum non ignores 15. & c. Tua 20. de Præb. & dignit.* ex altera verò parte, nemini jus suum, & præsertim Ecclesia vel beneficium Ecclesiasticum sine sua culpa vel causa publica sit auferendum, hòc ipsò; quòd in titulum perpetuum conferatur, *can. fin. dist. 70. can. Inventum, 16. q. 7. & c. Ex parte 5. de Clerico aegrot. viventis, ac proinde nondum vacans, beneficium alteri conferri nec debeat, nec Jure possit: sicut mariti adhuc viventis uxor alteri viro nequit copulari, *V. cit. c. 1. c. Accepisti 2. & c. Tuas 5. de Sponsa duor. Panormit. in c. 1. cit. n. 2.**

9. Neque solùm invalida ejusmodi collatio est, sed insuper, qui beneficium viventis scienter accepit, id postea vacans obtinere sine Apostolica dispensatione amplius non potest, *arg. can. Sicut cit. ad eum ferè modum, quò vir, qui cum alicujus viventis uxore, interveniente adulterinò commercio, matrimonio de factò contraxit, hanc, ejus virò postea mortuò, ducere sine ejusmodi dispensatione non potest, c. fin. De eo,*

qui duxit in matrim. Panormit. in c. 1. cit. n. 3.

Quin ut, qui alterius adhuc viventis beneficium sibi collatum scienter accepit, id postea vacans impetret, in literis Apostolicis mentionem fieri necesse est præcedentis intrusionis; secus Apostolica provisio ad instantiam (non Motu proprio, *arg. c. Si motu 23. de Præb. & dignit.*) facta, tanquam subrepticia, viribus carebit, ut *arg. c. Super literis 20. & c. Postulasti 27. de Rescript.* cum eodem Interprete docet Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 3.*

An invalida etiam sit, beneficii non vacantis promissio collata in tempus ejus per obitum, renuntiationem &c. vacaturi, dubium & ratio dubitandi est; quòd viventis beneficium, licet ei non auferri, & actu conferri alteri, uniri tamen ab Episcopo valeat monasterio, hospitali, collegio &c. *c. Cum venisset 9. de Resit. spoliat. c. Consultationibus 4. de Donat. & Clement. 2. de Rebus Eccles. alien.* cujusmodi unione facta beneficium vacaturum monasterio &c. debetur.

Sed ratione hæc potior est decisio Juris, beneficiorum non vacantium promissionibus vim omnem adimentis, *c. Relatum 3. & c. Ex tenore 13.* quòd Statutò Concilii Lateranensis, *c. Nulla 20.* relatò, advertentur. Ratio autem hujusmodi etiam promissiones irritandi fuit partim; ut occurreretur incommodis & gravaminibus, quæ, illis per nimiam importunitatem & improbam ambitionem extortis, Ecclesiis earumque Prælati inferebantur; cum, illis præmaturè & sæpe inconsultò factis, ad Ecclesias & beneficia vacatura jus quæreretur personis minus idoneis: & quæ vacatione eveniente se offererant, digniores non modicò ipsarum Ecclesiarum damnò & animarum

marum præjudiciò excluderentur: partim verò; ut ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, quàm procul possent, removerentur impia desideria consiliisque speantia mortem alienam: cujus voto & machinationibus inrempstivas ejusmodi promissiones cum maximo statûs Ecclesiastici opprobrio & Populi Christiani offensione occasione aliquando dedisse, compertum erat, ut à Bonifacio VIII. non obscure insinuat *c. Deservanda 2. pr. in 6.* & cum Viviano *in pr. cit.* observat Gonzalez *in c. Nulla cit. n. 12.*

Rationibus his Jurisque decisionibus innititur gemina Regula Apostolica Cancellariæ. Vigesima, *De non impetrando beneficium per obitum viventium*: vi cujus, si quis impetret rescriptum; ut sibi provideatur de beneficio tanquam vacante per obitum alicujus adhuc viventis, illius postea per obitum vacantis, virtute ejus rescripti facta provisio seu collatio nullius est momenti. Vigesima nona, *de Verisimili noticia*: vi cujus beneficii per obitum vacantis provisio Apostolica irrita est, nisi inter obitum & provisionem tantùm temporis intercesserit, ut obitus ad noticiam Papæ verisimiliter potuerit pervenisse, Tholosan. *de Benef. cap. 32. n. 2. & 4.* Cochier *in Reg. cit. n. 1.* & Gonzalez *n. 12. cit.*

Neque ita rejecta non vacantis beneficii promissioni efficax patrocinium præstat pro ea deducta ratio; quia Unio monasterio &c. facta alienæ mortis captandæ vel optandæ votum non inducit; cum, quod collegio vel communitati datur, nemini datum videatur, *can. Episcopus 59. §. Qui manumittitur, 12. q. 2.* & naturali quodam vitio communiter negligatur, quod communiter possidetur; nihilque se habere, qui totum non habet, arbitretur, *l. Meminimus 2. pr. V. Naturale G. Quando & qui-*

bus quarta: tum verò; quòd unio minùs præjudicet, & alienæ mortis captandæ occasionem multò minorem præbeat, quàm collatio: & ea, quàm præbet, ex ipsa provenientis majoris boni intuitu facile, & non immeritò contemnatur, Gonzalez *in c. cit. n. 13.*

Neque huic responsioni adversatur, quòd *c. Illud 8. de Jure patron.* loco Religioso à laico facta Ecclesiæ concessio ex eo etiam capite rejecta sit; quòd fuerit de re, sive Ecclesiæ non vacante; quia, ut *in c. cit.* Panormit. *n. 7.* advertit, Ecclesiæ concessio à laico facta est in præjudicium Rectoris adhuc viventis eamque possidentis, ut scilicet valeret & effectum sortiretur statim: non eò primùm cedente; cum in istius eventum collata, & cum Episcopi consensu facta concessio utique tenuisset, *c. Consultationibus cit. Sanchez Lib. 7. moral. cap. 29. n. 148.*

Dubium secundò est de valore juramenti, adjecti promissioni beneficii vacaturi. Pro cujus valore pugnat; quòd, cum ejusmodi beneficium postea vacans cuicumque clerico idoneo, & ipsi etiam promissario conferri valeat sine alicujus tertii & propriæ animæ præjudicio dispendiòque, juramentum beneficii promissioni adjectum de re licita, ac promittente ex Justitiâ vel saltem Religionis virtute observandum, locisque sit Regulæ *c. Cum contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.*

Neque juramenti vim enervat; quòd optandæ mortis alienæ, scilicet ejus, qui beneficium obtinet, inducat votum & captandæ præbeat occasionem: cujusmodi juramenta, quia ad delinquendum invitant, contra bonos mores sunt, & obligandi vi desistuntur, per *c. Quamvis 18. de Jurejurando & Regulam, Non est obligatorium contra bonos mores præsitum juramentum*, quæ est *58. in 6.* Non,

Non, inquam, hoc juramenti vim enervat; quia juramento, etiam promissioni contra bonos mores factæ adjecto, sua vis constat; cum hujusmodi moribus etiam adversetur pacta & promissiones de successione viventis, *l. stipulatio 16. ff. de V. O. & l. fin. C. de Pactis*: & tamen eis adjecta juramenta obligare, cum Decio *in l. Pactum 15. C. de Pactis n. 7.* Claro §. *Testamentum 994. n. 4.* & aliis DD. in suis Tractatibus de Juramento defendunt Gutierrez *p. 2. cap. 59. n. 5.* & Suarez *Lib. 2. cap. 23. n. 2.* ex ea solum ratione; quod sine peccato & tertii præjudicio valeant observari; ideoque locus sit alteri Regulæ, desumptæ ex *c. Cum contingat & c. Quamvis cit.* partim; quia tale votum non inducunt per se, sive ex natura & sine suo: sed solummodo per accidens ob vitium & perversitatem eorum, in quorum favorem præstantur: non omnium, sed paucissimorum beneficii obtinendi spe obsecratorum; ut optare aut etiam machinari non vereantur mortem eorum, quorum beneficia vacatura expectant: partim verò; quia boni mores, quibus ejusmodi promissio & juramentum adversatur, præcepti non sunt Jure Naturali aut Divino; cum secundum se spectati indecentiam & turpitudinem non contineant: sed humanò tantum, perinde ut de viventis hereditate initæ pactiones. Quibus, etsi ex legis dispositione invalidis, adjecta juramenta cum teneant, etiam subsistet, quod adjicitur promissioni beneficii non vacantis.

13. Nihilominus, sicut promissionem beneficii non vacantis, sic & ei firmandæ appositum juramentum viribus & valore destitui, cum Panormit. *in c. Ex renovare 13. n. 3.* docent Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 1. n. 33.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 6.* & Gonzalez *cit. n. 12. in fin.*

no. Ratio est; quòd, cum beneficii non vacantis promissio adversetur *cit.* decreto & Constitutionibus, eam irritantibus ad Ecclesiarum datina, Ecclesiastici Ordinis opprobria & fidelium scandala removenda, sicut ipsa, sic ei adjectum juramentum publico Ecclesiæ bono & bonis moribus Canonicis adversetur: & propterea de ipso procedat Regula *c. Quanto cit. & Reg. Non est obligatorium cit.* secundum Magistralem doctrinam Suarez *Lib. 2. de Juramento cap. 20. n. 3. & cap. 21. n. 2.* Accedit; quòd, si hujusmodi juramenta valerent, relatarum sanctionum Canonicarum, Ecclesiarum animarumque periculis & perversorum hominum ambitioni, consiliis ac machinationibus obviantium, saluberrimæ cautelæ eluderentur; cum à collatoribus & patronis beneficiorum non vacantium, sicut promissiones, sic etiam juramenta facile extorquerentur: atque ita, quod unâ viâ & directè non admittitur, indirectè & alia via obtineretur, contra *Reg. Cum quid una 84. in 6.*

Pro juramenti valore deducta haud sanè levia sunt. Eum tamen etiam ipsa efficaciter non persuadent; quia alia ratio est juramenti, adjecti pactionibus de viventis hereditate; cum ista solummodo adversentur bonis moribus Civilibus, sive dispositioni Juris Civilis, ejusmodi pactis ob justas quidem, sed principaliter & immediatè privatorum favorem spectantes causas, vim adimentis; non Canonicis; cum sanctionibus Ecclesiasticis irritata non reperiantur: & multò minus Naturali Jure vel Divinò; cum, si horum Jurium aliquò præceptis bonis moribus adversarentur, ejusmodi pactiones etiam inter milites initæ sustineri non possent, contra *l. Licet 19. C. de Pactis*: neque etiam firmæ evadere vi Consuetudinis, & Principis autoritate approbari.

U

probari.

probari, contra usum Germaniæ nostræ: in qua vi Consuetudinis de futura conjugum successione pactis dotalibus disponi, & autoritate Cæsarea confirmata constat Pacta Gentilitia, sive, ut vocantur, Confraternitatis, vulgò Erb. Berbrüderung / Ipeclantia futuras successiones, Gaill, *Lib. 2. observat. 126. n. 3.* Contra juramentum, beneficii non vacantis promissioni adjectum repugnet bonis moribus Canonicis, sive præceptis generalium Conciliorum & Constitutionum Apostolicarum. Quibus, cum promissiones illæ ad damna Ecclesiarum, animarum pericula & totius statûs Ecclesiastici opprobria avertenda, & ad ambitionum hominum importunitatem ac temeraria consilia excludenda reprobentur, iis roborandis adjecta juramenta valore destitui, est necesse, *arg. Reg. Non est cit. & c. Si diligenti 12. de Foro compet. Suarez cit. cap. 21. n. 2.*

14. Quare ejusmodi promissione ac juramento insuper habitis, beneficium postquam vacarit, alteri poterit conferri, ex clara decisione *c. Relatum 3.* ubi, adversus hujusmodi alteri factam collationem interpositæ appellationi tanquam frivole non deferendum, statuitur, partim; quòd ejusmodi contra sacros Canones facta etiam juratâ promissione jus aliquod promissario non sit quæsitum; cum invalida fuerit initiò, & per secutam beneficii vacationem non convaluerit, *arg. l. Quod ab initio 29. ff. de R. I.* partim verò; quòd contra Jus & frivole interposita appellatio beneficii non vacantis collationem non debeat, nec valeat impedire, ut *in C. cit.* cum Glossa *fin.* advertunt Panormit. *n. 3.* & Gonzalez *n. 2.*

15. Quin; ut memorati Concilii Lateranensis & cæteræ sanctiones Ecclesiasticæ firmitus custodirentur, easque per

ambages circumscribendi ansa & periculum omne removeretur, Innocentius III. *c. Constitutus 11.* vetuit; ne Episcopus aliûsve collator jus seu facultatem beneficium aliquod vacaturum conferendi alteri concedat: ejusque sui Prædecessoris vestigiis inharens Honorius III. patronorum commissiones ad præsentandum in beneficiis nondum vacantibus improbat & irritas pronuntiavit, *c. fin.* quòd, si hujusmodi commissiones & concessiones essent licitæ, is, qui certo alicujus viventis beneficio inharet, subornare posset alium, ut id, cum proximè vacaverit, conferendi vel præsentandi facultatem ab Episcopo aliòve collatore vel patrono impetret; itaque collationis vel præsentationis ab isto facile obtinendæ fiduciâ ad captandam vel optandam beneficiati mortem invitari, Panormit. *in c. Constitutus cit. n. 1.* & ibi Gonzalez *n. 3. & 5.*

Excipiendus tamen hòc locò imprimis est Vicarius generalis: cui, licet Jure concedi nequeat potestas certum aliquod beneficium vacaturum, cui voluerit, vel etiam certæ personæ conferendi, *c. Constitutus cit.* ubi Panormit. *n. 5.* Rebuffus *in Prax. de Offic. Vicar. n. 15.* Azor *p. 2. Institut. lib. 3. cap. 44. q. 1.* & Laiman *in c. fin. de Offic. Vicar. n. 6. n. 3.* cum, ne detur occasio illicitis modis, scilicet machinatione in mortem beneficiati vel ejus circumventionem, viventis beneficio inhendi, contra *c. Nulla cit.* tum verò; ne per hujusmodi concessiones & commissiones determinatas inducantur beneficiorum reservationes & Expectativæ, Jure valde odiosæ atque exosæ, & Episcopis non concessæ præsertim post Trident. *Sess. 24. cap. 19. de Reformat.* Glossa *in c. Cùm dilectus 27. V. Presentare, de Jure Patron.* Laiman *in c. fin. cit. n. 3.* generaliter tamen

tamen Vicario suo Episcopus concedere valet potestatem conferendi beneficia vacatura, spectantia ad suam collationem, vel omnia, vel certi alicujus loci aut Ecclesiæ, si ibi plura existant, *c. fin. junctâ Glosâ V. Commissâ. cit. Rebuffus à n. 23. Laiman n. 3. & Barbola in c. cit. n. 11.* Ratio est; quia generali hujusmodi concessione & commissione nemini præbatur occasio in unius potius quam alterius mortem machinandi: sicut ea non præbatur per potestatem generalem, quam habet Episcopus, quocum eandem jurisdictionem idemque tribunal habet Vicarius generalis, *c. Non putamus 2. de Consuet. in 6.*

17. Excipiendus deinde aliquando est patronus, præsertim laicus: qui ex justa causa v.g. diuturnæ absentiæ in locis remotis, cum generali procuratore sive administratione rerum suarum etiam facultatem clericos præsentandi ad vacantia sui patronatus beneficia plura vel unicum duntaxat alteri committere cum consensu Ordinarii potest; quod tali casu, sicut cæteris rebus suis superesse, sic etiam præsentandi jus exercere per se ipsum non possit, *l. 1. §. 2. ff. de Procurat. Panormit. in c. fin. cit. n. 7. Lambertin. de Jure Patronat. lib. 2. p. 1. q. 4. art. 2. n. 3. cit. Garcias p. 10. cap. 1. n. 2. & alii apud Barbosam in c. fin. cit. n. 6.* Ex dictis

18. Dubium oritur de gratis Expectativis: quarum ad vacatura beneficia, tam à Papa, quam à Prælatiis eò inferioribus concessarum honestatem & valorem accipitem reddit non contemnenda ratio; quod ex una, ipsæ etiam à Papa concessæ alienæ mortis votum non minus involvant, quam beneficiorum nondum vacantium ab aliis factæ promissiones; ac proinde adferentur bonis moribus Canonicis: imò Juri Divino præcipien-

ti, ut quis diligit proximum, sicut se ipsum, *Matth. cap. 22. v. 39.* quod Jus relaxare Papa non potest, *arg. c. Cùm inferior 16. de Majorit.* Ut adeò tam ipsa, quam Mandata de providendo alicui de dignitate vel alio beneficio Ecclesiastico proximè vacaturo à S. Synodo Trident. *cap. 19. cit.* meritò fuerint sublata. Ex altera verò parte, non solum à Papa, sed ab aliis etiam concessæ ejusmodi gratiæ subsistere videantur; cum Legato à latere Jure competat potestas vacatura beneficia reservandi, etiam in favorem seu commodum certæ personæ, *c. Presenti 3. de Offic. Legat. in 6. & c. Cùm dilectus 28. de Jure patronat.* Eòdem modò ab Episcopo & Capitulo recipi clericus potest in canonicum & fratrem absque assignatione præbendæ: quò modò recepto præbenda proximè vacatura debetur, hòc ipsò; quòd Canoniam sine Præbenda diu consistere non possit, *c. Cùm M. 9. de Constitut. & c. Relatum 9. de Præb. & dignit.* Quibus casibus cum beneficium reservatum & præbenda vacatura ab eo, in cujus favorem reservatio facta est, & à recepto in canonicum revera expectentur, non est, cur gratias illas etiam à prælatiis inferioribus concedi non posse, asseramus.

Confirmatur hoc; quia hodie in quibusdam Studiorum generalium Universitatibus personarum, ad Gradus literarios promotarum, Nominaciones ad beneficia vacatura fieri solent: quarum vi ista postea vacantia ab eo, qui conferendi jus habet, alteri conferri non valent: sed à nominato expectantur. Quod ita receptum est non solum ad promotionem Studiorum: sed ad bonù quoque Ecclesiarum & animarum; cum ita illæ Rectores, & ista pastores doctos faciliùs consequantur, *Zœlius ad hanc Rubric. n. 9.*

Gravissima istius rationis magna quidem in partem utramque, ea tamen vis non est; ut gratiarum Expectativarum concessionem vel denegandam Papæ, vel inferioribus etiam prælatibus adstruendam evincat; cum Decretalium Constitutionibus & Conciliorum Lateranensis ac Tridentini decretis, ejusmodi gratias & beneficiorum non vacantium collationes promissionesque generaliter prohibentibus, inferiores omnes adstringantur, *can. 1. dist. 20. can. Nulli, 4. Sc. 3. q. 7. c. 1. c. Ne imitaris 5. Sc. de Constitut.* Romanus autem Pontifex, tanquam omni humano Jure superior, non ligetur, ut patet *c. Significasti 4. c. Innotuit 20. V. Quamvis de Elect. & S. Synodo Trident. Sess. 25. cap. 21. de Ref. disertè declarante, à se omnia, quæ de morum reformatione & Ecclesiastica disciplina statuit, Ita decreta esse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolica & sit, & esse intelligatur, præsertim circa dignitates & beneficia Ecclesiastica; cum de his etiam vacaturis disponendi plenissimam habeat potestatem, *c. Licet 2. de Prab. & dignit. in 6. & Clement. 1. §. fin. Ut lit. pendente.**

Neque Expectativarum concessioni Apostolicæ contra eam deducta ratio adversatur; quia imprimis à Papa non conceduntur temere & quibuscunque: sed magna circumspectione & personis, meritis in Ecclesiam, probitate & scientiâ valde conspicuis, de quibus triste aliquid suspicari, fas non est. Deinde; quia ejusmodi Expectativæ immediatè non adversantur bonis moribus præceptis Jure Naturali aut Divinò: sed Ecclesiasticò duntaxat, Papam ut dictum, non adstringente. Demum; quia eadem Expectativæ alienæ mortis votum non per se, sed merè per accidens & rarissimè inducunt; ut peccandi occasio, quam præ-

bent, valde remota sit: & à justa causa, ex qua à Sede Apostolica aliquando conceduntur, valeat cohonestari; Joann. Andr. in *c. Proposuit 4. n. 3.* Fagnanus in *c. Nulla cit. n. 15.* & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 5.

Haud paulò difficiliora sunt allegata pro prælatibus Papæ inferioribus: quibus tamen ejusmodi gratias concedenti-
bus efficaciter non patrocinantur.

Et imprimis quidem Legato à latere; quòd inter gratiam Expectativam ejusque reservationem latum sit discrimen; quia per illam provisò ad beneficium vacaturum acquiritur jus: non etiam per istam; cum, legatione quoquòd modò finitâ, reservatio expiret; ut beneficium ab Ordinario aliòve collatore, cui vult, liberè valeat conferri, per text. *c. Prasenti cit. Sibi* notata à Barbosa n. 1. & 6. & Pirrhing ad Rubr. de Offic. Legati n. 24. illâque durante legatus voluntatem mutare & beneficium, in unius favorem reservatum, alteri conferre sine prioris iniuria possit; ac proinde ex reservatione optandæ vel captandæ alienæ mortis periculum minus oritur, quàm ex gratia Expectativa aut quavis aliâ non vacantis beneficii promissione, Panormit. in *c. Cum dilectus 19. de Prab. & dignit. n. 3.* Garcias p. 5. de Benef. cap. 3. n. 38. & Gonzalez l. cit. n. 14.

Deinde Episcopo & Capitulo; quia *cc. cit.* cum dictis commodè conciliantur; cum, licet vi receptionis alicujus in canonicum præbenda vacatura debeat, principaliter tamen & immediatè non debeat ex vi receptionis aut promissionis: sed tantum in consequentiam, ratione Canonice seu canonicatus, ex juris dispositione exigentis; ut, cui ipsa collata est, proximè vacatura & aliunde non impedita præbenda assignetur; ut ad præ-

canonicus istam ex dispositione canonis potius quam hominis promissione consequatur, Barbofa in *c. Relatum cit. n. 12.* Pirrhing ad Rubric. de Præb. & Dignit. n. 31. & Gonzalez in *c. Nulla cit. n. 13.*

Neque cum hac conciliatione pugnat; quod *c. Relatum cit.* in Canonicum recepto præbendæ promissa, & secundum eam promissionem concessa perhibeatur; quia promissa non fuit ex receptione ab homine facta: sed vi Canonice, quam obtinenti, cum præbendæ proximè vacatura de Jure assignanda sit, promissione illa solum expressum est, quod inerat tacite, & proximè ex Juris necessitate debebatur. Quare cum *c. Dilectus 19. de Præbend.* in canonicum recepto facta promissa præbendæ Concilio Lateranensi obviare dicitur, id exaudiendum est de promissione facta principaliter & ante receptionem: non in consequentiam tantum ad Canoniam; cum facta perhibeatur in ipsa compositione, receptionem in Canonicum præcedente; ac proinde ejus expectatio ibi reprobata hominis potius promissioni, quam Juris seu canonis dispositioni inniteretur, ut cum Decio in *c. cit. à n. 4.* notant Barbofa in *c. Relatum cit. n. 3.* & ibi Gonzalez n. 3.

Eandem Jurium conciliationem etiam non evertit; quod *c. Tua 20. & c. Dilecto 25. V. Si verò, de Præb. & Dignit.* præbendæ etiam ratione ejusmodi receptionis expectatio non obscure rejiciatur; quia Juribus his non primò vacaturæ in genere, de qua *c. Relatum cit.* & nobis sermo est: sed in specie certi hominis præbendæ expectatio reprobatur, ut ibi ostendunt *cit.* Barbofa n. 4. & Gonzalez num. 3.

Verùm licet antiquò Decretalium Jure ejusmodi expectatio sublitterit, novissime tamen à Tridentino *cit. cap. 19.* cum gratiùs Expectativis etiam facultate

tem creandi canonicum supernumerarium, ad futuram seu primò vacaturam præbendam, Episcopis & Capitulis ademptam, à S. Congreg. Cardd. ejus Concilii Interpp. declaratum, testes sunt Gonzalez in *Reg. 8. Proem. §. 1. n. 64.* & Barbofa in *cap. 19. cit. n. 2.*

Demum pro Expectativis, ab inferioribus concessis, non facit confirmatio, quia ab ejusmodi Nominatis Academicis tristis consilii aut voti metus non est: & si quis esset, ab utilitate in Ecclesiis & Republicam Christianam ab illis redundante multum superaretur. Quæ causa est, cur ejusmodi Nominations facienda juri, studiorum Universitatibus indulto à S. Synodo Tridentina, similia de beneficiis vacaturis providendi privilegia, Collegiis & Universitatibus aliis ante concessa revocante, non fuisse derogatum, à Gregorio XIII. super iis postea consulto sit declaratum, testibus Wamesio *Consil. 234. paulo post pr. & Loëtio cit. n. 9.*

Dubium denique est de valore promissionis beneficii factæ in genere, v.g. *Conferam, cum potero, cum se facultas obtulerit.* Pro cujus valore aperte militat *c. Accedens 14.* textus, & modernus usus collatorum ac patronorum, etiam timoratorum: qui clericis sibi commendatis & charis, cum pro beneficio supplicant, promittere passim solent, se *Cum occasio tulerit*, eos voti compotes facturos, & ad canonicatum, parochiam vel aliud beneficium, *Cum poterunt* promoturos: imò alicubi talibus promissionibus firmandis adjici solent literæ, ad ejusmodi beneficia vacatura, quas *Signaturæ* nuncupant.

Sed, esto hujusmodi genericæ promissiones *c. cit.* Antiquò Jure sublitterint; quòd minus, quam certi beneficii vacaturi promissio periculosa viderentur; & in genere atque indeterminate multa

sustineantur, quæ determinatè & in specie reprobantur, *arg. can. Non estimemus, 13. q. 2. c. Si Sacerdos 2. de Offic. Ordin. Et l. Si unus 27. §. 3. ff. de Patis*: postea tamen à Bonifacio VIII. etiam ipsæ, & quæcunque aliæ promissiones, ad beneficia vacatura viam directè vel indirectè sternentes, generaliter prohibitæ & irritatæ sunt, *c. Detestanda 2. in 6. quod, perverforum hominum ambitione & audaciâ cum tempore crescente, alienæ mortis captandæ consiliis expositæ etiam ipsæ viderentur, Francus in c. cit. n. 2. ubi Barbofa n. 1. & Wagnereck in c. Nulla cit. §. Ne verò.* Cui recentiori Juri modernæ temporis usus non derogavit; quia illis loquendi modis & Signaturis spes sola, non res sive alicujus beneficii vel collationis aut præsentationis ad id obtinendæ jus supplicantibus quæritur, ut indubitatè liquet ex eo; quod aliquando ad eundem canonicatum vel parochiam Signaturæ dentur pluribus; & cum

postea vacant, quandoque aliis conferantur, non obstantibus ejusmodi Signaturis, & appellatione etiam vel querelâ eorum, quibus antè fuisse promissâ, poterant videri.

Rectè tamen in rem præsentem Wagnereck §. cit. advertit, Bonifacii VIII. didas promissiones irritantis Constitutionem & S. Synodi Tridentinæ, canonicos ad futuram præbendam recipiendi facultatem Episcopis & capitulis adimentis, decretum non ubique in rigore esse recepta; cum in pluribus Germaniæ nostræ Ecclesiis canonicos supernumerarios & futuras præbendas expectantes recipi, eorûmq; nomina Calendariis inseri videamus: & Consuetudinem, vi cujus in Ecclesia Salmantina duo canonici supernumerarii præbendas vacaturas expectantes recipiuntur, à Pio V. *Motu proprio confirmatam, testetur Barbofa in cap. 19. n. 3.*



TITULUS IX.

Ne Sede Vacante aliquid innovetur.



Quesione Collationis beneficiorum Ecclesiasticorum, Jure communi Episcopo competentis, præsentis Rubricæ agitur de potestate, quam Sede seu Prælatura, præsertim Episcopali, vacante circa eadem aliæque Episcopalia jura Capitulum habet.

ARTICULUS I.

De actibus vacante Sede Capitulo permiffis.

SUMMARIUM.

1. Episcopalis Sedis vacatio diversimodè inducitur:
2. Eaque indulta Episcopatus administratio competis Capitulo;
3. Ut hoc